



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nicolai Revsneri Ivrisconsvlti Therothermae, siue Aqvae  
Ferinae**

**Reusner, Nikolaus**

**Lavingae, 1581**

**VD16 R 1499**

V. Ad D. Ludouicum Principem VVirtebergicum, & Teccium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12416**

*Magna ducis virtus bonitas: spes inde, fidesque  
Et constans populi progeneratur amor.*

V.

Ad D. Ludouicum Prince-  
pem VVirtebergicum, & Teccium.

*Sit quamuis bona, non omnis fert omnia tellus:  
Alterius gens sic altera poscit opem.  
Lydia sic aurum: sic aes, ferrumque Corinthos.  
India sic nitidum spontè ministrat ebur.  
Sic fruges Libye, vites Campania, poma  
Media: sic mel fert Attica terra bonum.  
At tua, Dux Ludouice, tibi fert omnia tellus:  
Quamque potest, alijs fida ministrat opem.  
Diues opum tellus: pecoris quoque diues, & ager  
Magna, potensque satis censibus, atque viris.  
Illic arua Ceres, iuga Bacchus, pascua Phœbus,  
Pan campos, siluas spontè Diana colit.  
Ipsa Pales herbas pecori, lac sufficit agnis:  
Et saltus Dryades, Oreadesque colunt.  
Turrigera Cybele caput hîc onerata corona  
Cernitur: & Nymphis Gratia iuncta suis.  
Quid latices memorem sacros, Baiasque salubres  
Quid venas ferri, quas parit omne solum.  
Sunt hæc magna quidem: sed longè maxima: terra  
Quod colit hanc, sancta cum Pietate, Themis*

*Quodque duci dominata bono, iustoque, pioque:*

*Longæva fruitur sic benè pace domi.*

*Dij te semper ament, Princeps LVDOVICE:*

*(simulque*

*Prole patrem faciant te seniore senem.*

VI.

D. Gabrieli Streinio Ba-  
roni Schuarzenauio.

*Prima timere Deum sit vitæ norma: secunda  
Rectè agere. ille sapit, quisquis vtrumq; facit.*

VII.

Ad D. Albertum Comi-  
tem Leostonium.

*Qui vult, atque potest beare multos:*

*Rex est ille beatus, atque felix.*

*Sors est aurea nempe sola regum,*

*Posse, & velle homines beare multos:*

*Rex vt dixit Anaxilaus ille.*

IX.

In M. Curium.

*Qui frugi, fortisque vir est: nec vincitur auro,*

*Nec ferro. testis sis mihi, Marce CVRI.*

IX.

Ad D. Ioannem Lib. Ba-  
ronem Lymburgium.

A S Non